

57A. Augustus as Emperor (SB page 47)

Line numbers are keyed to the vocabulary lists in the Student's Book.

1 Ita

bellis per totum orbem confectis

2 Octavianus Augustus Romam rediit, duodecimo anno quam consul fuerat.

3 Ex eo rem publicam per quadraginta et quattuor annos solus obtinuit.

Ante enim duodecim annis cum Antonio et Lepido tenuerat.

4 Ita ab initio principatus eius usque ad finem quinquaginta et sex anni fuerunt.

5 Obiit autem septuagesimo sexto anno \wedge morte communi \wedge in oppido Campaniae Atella.

6 Romae in campo Martio sepultus est,

vir qui non immerito ex maxima parte deo similis est putatus.

7 Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit aut in pace moderatior.

Quadraginta et quattuor annis,

8 quibus solus gessit imperium,

9 civilissimam vixit, in cunctis liberalissimus, in amicis fidissimus,

quos tantis evexit honoribus

10 ut paene aequaret fastigio suo.

11 Nullo tempore ante eum magis res Romana floruit.

Nam exceptis civilibus bellis,

12 in quibus invictus fuit,

Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam

13 saepe ante victam sed penitus tum subactam,

Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Raetiam, Vindelicos et Salassos in Alpibus,

14 omnes Ponti maritimas civitates,

in his nobilissimas Bosporum et Panticapaeum.

15 Vicit autem multis proeliis Dacos.

57B. More of Augustus' Achievements (SB page 49)

- 1 Germānōrum ingentēs cōpiās cecīdit,
ipsōs quoque trāns Albim fluvium summōvit,
- 2 quī in barbaricō longē ultrā Rhēnum est.
- 3 Hoc tamen bellum per Drūsum, prīvignum suum, administrāvit,
sicut per Tiberium, prīvignum alterum, bellum Pannonicum.
- 4 Quō bellō quadrāgintā captīvōrum mīlia ex Germāniā trānstulit
- 5 et suprā rīpam Rhēnī in Galliā collocāvit.

Armeniam ā Parthīs recēpit.

Obsidēs,
quod nūllī anteā,
Persae eī dedērunt.

- 6 Reddidērunt etiam signa Rōmāna,
quae Crassō victō adēmerant.
- 7 Scythae et Indī,
quibus anteā Rōmānōrum nōmen incognitum fuerat,
mūnera et lēgātōs ad eum mīsērunt.
- 8 Galatia quoque sub hōc prōvincia facta est,
cum anteā rēgnum fuisset,
- 9 prīmusque eam M. Lollius prō praetōre administrāvit.

Tantō autem amōre etiam apud barbarōs fuit

- 10 ut rēgēs populī Rōmānī amīcī in honōrem eius conderent cīvitātēs,
quās Caesarēās nōminārent.

Multī autem rēgēs ex rēgnīs suīs vērērunt

- 12 ut eī obsequerentur,
et habitū Rōmānō, togātī scīlicet, ad vehiculum vel equum ipsīus cucurrērunt.
- 13 Moriēns Dīvus appellātus est.